

nie, Wonic de maritimis Banis existentibus, Chak Budrugien., Qonith Baciën., Iula ferrei castri, Comitibus existentibus. Pausa Tauernicorum, Andrea Dapiferorum, Bogomiro Pincernarum, Iwan Agazonum tenentibus magistratum.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. III. v. II. p. 481.

(*Confirmatae sunt Turopoljensium libertates a Bela IV. R. H. a 1255, a Stephano V. anno 1272, a Ladislao Chuno a. 1278, a Sigismundo a. 1456, demum ab Vladislao II. a. 1514.*)

XLIII.

Anno 1226. Kal. Augusti. Spalati.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, Traguriensi Ecclesiae in Dalmatia praedium regale Drid regali donatione confert.

In nomine Sancte et indiuidue Trinitatis. Iustis postulantium desideriis equum est regiam condescendere maiestatem, et vt ecclesiarum penuria regiis facultatibus subleuetur, a tramite non deuiare equitatis. Quum itaque nos Colomanus, Dei gratia Ruthenorum Rex, et largitate gloriosi patris nostri Andree, Hungarorum Regis, Dux Dalmatie atque Croatiae, ad partes descendissemus maritimas, venerabilis vir, et idem fidelis noster Treguanus, episcopus Traguriensis, a sublimitatis nostre culmine suppliciter postulauit, vt ob salutem anime nostre, et ob requiem anime carissime quondam nostre matris Gertrudis Regine, locum, qui dicitur Drid, Ecclesie Traguriensi eleemosyne intuitu largiremur. Cuius postulationi grato concurrentes assensu, tum in salutem nostram, tum in requiem anime gloriose dicte nostre matris ipsum locum prenomiatum, scilicet Drid, cum omnibus suis pertinenciis, et pascuis, sibi adiacentibus, montibus, vallibus, et terris vniuersis, que laborari possunt, ad eundem locum spectantibus, regali donatione in eleemosynam perpetue possessionis dicte Traguriensi ecclesie, et episcopo memorato, et eius catholicis successoribus concedimus, largimur, et donamus; reducentes in irritum omnem actionem, omnemque iurisdictionem, quam Vlcinna, Tragurii quondam Comes, in eum locum, ex commissione gloriosi patrui nostri Henrici, quondam regis Hungarie, vel Petrus de Chelmo, ex concessione fratris nostri Bele, seu alii quicumque ibidem dignoscuntur habuisse. Praedium autem ipsum iste mete ab aliis locis diuidunt et distinguunt. Ab oriente maria, ab occidente Stelpona, ab aquilone terre Tragurii, que Mezlime appellantur; ab austro vero terre Monasterii Traguriensis terminant eundem locum. Ac ne huius nostre donationis eleemosyna retractari valeat in posterum vel resolui, sicut superiorem actionem et iurisdictionem personarum, ita et omnium priuilegiarum omniumque scripturarum vires contra hoc vndecunque apparentium exstinguimus,